

Sächsische



Landesbibliothek

064

VT
PVBLICAE LAETITIAE,
QVAM
OB FELICEM REDITVM EX POLONIA
A V G V S T I,

*REGIS NOSTRI CLEMENTISSIMI,
IN PATRIAM*

GYMNASIVM ZITTAVIENSE

AN, M. D C C. LXIII. D. VII, IVN.

HOR. VIII. AVDITA,

PIE ET SVBMISSE DECLARABIT,
MAGNIFICI CONSVLES
AMPLISSIMVSQVE SENATVS

AVCTORITATE SVA, SVO SPLENDORE,

NEC NON

SVMME MAXIMEQVE REVERENDI ECCLESIAE MINI-
STRI, THEMIDISQVE ET HYGEAE INTEGERRIMI SACERDOTES, GYMNA-
SII DOCTORES, ET REI LITTERARIAE, QVOTQVOT IN VR-
BE HAC NOSTRA COMMORANTVR, FAVTORES
OMNES, CIVESQVE,

PERBENIGNE ET BENEVOLE INTERESSE VELINT,

MAXIMO, QVO FIERI POTEST, OPERE, PIETATE AVTEM,
QVA DECET,

PAVCIS QVIBVSDAM PRAEFAMINIS LOCO EXPOSITIS

DE
CONSVALIBVS,
PETIT ET ROGITAT,
ADAM DANIEL RICHTERVS,
GYMNAS. DIRECT.

ZITTAVIAE, LITERIS STREMBELIANIS.

77
PUBLIGAE LACETIAE
ORTELICEM REDIVM EX POLONIA
A. V. G. V. S. T. I.
REGIS APOSTOLICAE MAJESTATIS
GYMNASIVM SITTAVIENSE

Sächsische
Landesbibliothek
24. JULI 1987
Dresden

STYMI MAXIMO REVERENDI PRAESIDENTI
SITAVIENSIS GYMNASII
ADAM DANIEL RICHTERVS
PETIT ET ROGAT
CONSVLIVS
DE
PAGIS QUONDAM PRAESIDIUM ECCO EXPOSITIS
CAUSIS
MAJESTATEM APOSTOLICAM
REVERENDISSIMO PATRI
SITAVIENSIS GYMNASII
SITAVIAE



onsilium res sacra, consilii autem capiendi deliberatio utilis generatim et necessaria est. Vis enim consilii expers ruit mole sua et nihil perdurat stabile ac fixum sine consilio. Quo autem grauiiores res sunt, quibus occupamur, uel quibus ipsa nostra salus continetur, eo magis necesse est, ut auspiciam suam augmentumque ex bono consilio capiant. Quamobrem, ut generatim in humanis negotiis consilio opus est, ita etiam publicae res praesertim in deliberationem cadunt, ut imperantes omnia feliciter et ex animi sententia non nisi consilio conficiant. Omnia enim regna, ciuitates, nationes usque eo prosperrimum imperium habent, dum in illis uera consilia ualent. Anima igitur reipublicae consilium est, et mea quidem sententia plura semper et meliora auspiciis et consilio, quam telis et manibus in summa fortuna gesta sunt. Nemo uero omnia intelligit, nemo solus tam circumspectus et prouidus est, ut sibi sufficiens maxime perspiciat, quid in re quaque uerissimum sit, quid fugiendum cauendumque. Ergo et haec animi insufficientia in quolibet prudentissimo principe facit, ut tam multis reipublicae rebus, arduis admodum et saepe ancipitibus, uix se suis ipsorum consiliis feliciter explicare soleant, quin amicorum consilio opus sit senatusque prudentia. Athenienses habebant suum *Areopagum* a Solone, quod multi uolunt, institutum, ut in illo de rebus et priuatis et publicis consultarent, quo quidem deinde senatus consilio sublato omnis salus reipublicae Athenis sublata est. Et iam a temporibus Constantini, qui imperium et omnem potestatem Roma Constantinopolin transtulerat, summa iudiciorum potestas erat apud *Consistorium* Principis. *Consistorium* autem dicebatur locus,
* 2 in

in quo, qui in consiliis Principis erant, constiterunt. Princeps enim sedebat inter eos, qui *Comites Consistoriales* appellabantur, *l. ult. C. de Comit. Consistor.* Quanquam uero deliberatio in rebus imperii non raro in rationem difficultatis cadit, tamen in suscipiendis rebus maiores semper difficultates imperantibus obueniunt, quam in rebus conficiendis, et animus, uel errorum caligine inuolutus uel submersus perturbationibus, non semper acutissime uidet, quid statuere utile sit, quid eligere, quid fugere conducat, ut aliter teneri non possit, si qua ad rem maioris momenti est facta progressio, nisi sub initium in consilio prudenter concepto inque fidelibus consiliariis diligenter res posita fuerit. Quid enim urbem primam Romanorum, quae initio parua res erat, conseruauit et stabilire potuit, quam consilium Romuli et opera amicorum consilium eius approbantium, et qui illud consilium deinde secuti sunt. Nunc enim ad partem ipsam propositae meae scriptionis de *Consualibus* Mense Martio Romae habitis conuertor. Quum scilicet Romanis nondum coniux esset neque focer ullus, quos finitimae gentes multae ac ualidae aliis in ciuitatibus nouos conuenas, qui plerique ex pauperibus et obscuris hominibus constabant, aspernarentur et nulla esset, quae Romano uellet nubere, patriam Mars Romulo dedit mentem, ut, consentiente Numitore auo, consilium caperet connubia quaerendi per arma, raptis non paucis Sabinorum simul uirginibus, cogitans, nullam ex aduerso contentionem, si uim excusaret necessitas, sed multo magis fore, ut hoc facinus Romanis coniunctionem ac communionem cum Sabinis exhibeat, conciliatis mulierum animis. Rem ipsam Romulus hac ratione aggressus est. Indixerat nempe Romulus celebritatem festumque diem Neptuno, quem iam statim post urbem excitatam Romani colebant ludis aliunde receptis. Missis quibusdam ad finitimas gentes, qui inuitarent, ut Romam ludos spectatum uenirent, uenit hominum magna multitudo. Mandauerat igitur Romulus iuuenibus extrema ludorum die, cum iam celebritas finienda esset, ut signo dato ex isto magno hospitem cum uxoribus simul et liberis confluxu, Romam undique facto, uirgines raperent, quae uenerant spectatum. Quoniam autem Romulus bene nouerat, quod potentia cautis quam acrioribus consiliis tutior sit, et quod cauta consilia omnibus magno studio semper commendata esse debeant, qui populo consulere et scenae seruire uolunt, iam ante sparserat rumorem, reperisse se aram cuiusdam Dei sub terra occultatam. Dei nomen *Consus* fuit, nomine a consilio facto, quod salutaria et fida consilia cogitationibus suggereret, inque consultando iuuaret. Huic igitur Deo *Conso*, tanquam Deo fraudis et consiliorum occultorum, sacrificium uouebat, si omnia bene prospereque procederent, diesque solemnes festos constituit, qui deinde a Deo *Conso* *Consuales* appellati, sacra autem *Consualia* ipsa in Circo ad aram eius a sacerdotibus habita sunt. *Varro de ling.*

ling. lat. l. 5. *Dionysius* ait *L. II.* quod ara ista subterranea, sita prope Circum Maximum, refossa circum quaque terra, sacrificiis et missis in ignem libaminibus honorata sit. Sacrificia itaque Deo *Conso* facta ignea fuerunt. Ara autem huius Dei reliquo anni tempore sub terra latebat undique aggesta humo abdita, quod arcanum esse debet omne consilium et, ne aperiendo prodatur, omni cautione imprimis autem silentio opus est. *Plutarch. in vit. Romul.* Inde etiam facile coniecere licet, quod sacerdotes Deo *Conso* sine dubio sacrificauerint manibus panno uelatis, sicut Deae *Fidei*, quia fides tecta esse debet eadem ratione, uti tegebatur initum de raptu Sabinarum Romuli consilium. Ipsa etiam ara Dei *Consi* inscripta erat: *Consus Consilio, Mars Duello, Lares Comitio potentes, Tertull. lib. de spectac. c. 1.* ad significandum, quod in rebus suscipiendis praeter consilia cauta etiam potentia cum auxilio Deorum maxime opus sit. Qui igitur hunc Romanorum recens a Romulo factum Deum *Consuum* Neptunum equestrem exponunt, et per *Consualia* huic Deo a Romulo instituta ludos et certamina Neptuni equestris intelligunt, hi, ne diuersa sacra sub uno aspectu ponant, monendi sunt. Ista enim festiuitas Neptuni equestris originem iam olim ab Euandro habuit, statimque in urbe Roma ab initio recepta fuit, quum feriae Dei *Consi*, quoniam rationi non uideretur consentaneum, Romulum deductorem nouae coloniae tantum facinus primo statim anno regiminis sui, republica nondum constituta, aggressum esse, quarto demum anno post urbem conditam institutae sint. *Dionys. libr. II.* Sacrificauerat autem Romulus Deo suo *Conso* eodem die, quo Romae ludi Neptuni equestris et certamina erant, anniuersarium hoc die sacrum promittens, si omnia bene succederent, ita ut feriae essent, quod idem alias saepe fieri solebat, geminatae, uno eodemque die duplicatae. *Consus* igitur omnino diuersus est a Neptuno, feriae autem hoc eodemque die aliae atque aliae. Ara ipsa Dei *Consi* subterranea noua res et a sacris Neptuni longe alia fuit. Ara quidem *Ditis* et *Proserpinae* etiam ab accessu hominum semota in loco abdito in Martio Campo ad Tarentum colebatur, Neptuni autem ara neque apud Graecos et Romanos, neque apud Barbaros usquam terrarum occulta fuit. Huic nostrae sententiae assentitur *Dionysius libr. II.* qui meminit audire, cursum equorum iam olim institutum fuisse, aram uero subterraneam postea Genio cuidam, cuius nomen proferri nefas sit, occultorum consiliorum seruatori ac praesidi. Genius igitur ipse et praeses consiliorum occultorum *δαίμων ἀπόκρυφος* fuit, cuius nomen publicari nefas putabatur, ita ut appellatio *Consi* modo uulgatum et cognomen sacrificiis debitum sit. Quid? Romulus, consilio suo cum senatu communicato, nonne ipse solus auctor de raptu virginum Sabinarum erat? Quidni ergo coniectura nostra forsitan ualeat, quod Romulus sub hoc cognomine *Consi* ipse latere Deusque coli uoluerit? Sed

Sed ne longior sim, quam charta permittit, causam huius scriptionis nunc indicare iubeor. Ad *Consualia* nempe Romanorum breuiter exponenda animum induxit *Patris Patriae optimi, Clementissimi Regis nostri AVGVSTI*, felicissimus iucundissimusque *Reditus in Saxoniam*. Siquidem non contentus sedes reuifere suas, ubi in cordibus singulorum *Regi* nostro *Clementissimo* arae candido thure pietatis non centum sed omnes et innumerae calent, restituit quae incensa, quae bello perdita fuerant, in integrum. Sed et Ipse Consilii plenus sedet inter illos, qui ad id constituti *Amici Regis* et *Comites Consiliarii* respondent de meliore sorte prouinciarum breui futura. Omnis *Saxonia*, omnis *Lusatia*, tota *Zittauia*, et, quo magis omnis felicitas Musarum dependet a salute Principis, *Gymnasium* quoque nostrum exultat de *REGE* nostro *Clementissimo* non sine pace feliciter *Reduce*. Vitiorum enim, quae ex bello reliqua fuerant, emendatrices leges custodiam communis salutis iam denuo certissime spondent. Quid itaque magis uotis omnibus cupere et expetere debemus, quam ut Deus benignus *AVGVSTO*, *Regi* nostro *Clementissimo*, adhuc multos annos uiresque concedat, curae eius pro salute Patriae solerti et antiquae pares. Haec omnia uotis suis capiunt et expetunt iuuenes praestantissimi, qui pietatis suae et submissionis signa daturi *crastina luce*, quum ego antea breuiter dixerō de *re Israelitarum cum Beniamitis*, publice gratias Deo de felicissimo *Reditu AVGVSTI, Regis nostri Clementissimi*, persoluere uolunt insequentes. Nempe

CHRISTIANVS EPHRAIM LVDEWIG, BERTZDORF. LVS. de Saxonia antea misere afflicta nunc autem reditu Regis Augusti Clementissimi a Deo recreata dicet *Orat. Germ.*

GOTTFRIED RVDOLPH WIEDMER, SCHOEMBERG. LVS. gaudium, quod nascitur in cordibus Subditorum de felici reditu Principis sui in patriam, describet *Orat. Gallic.*

IOHANNES GOTTLÖB PFITZMANNVS, ZITTAV. reditum Augusti Regis nostri Clementissimi in patriam non sine pace factum esse laudabit *Carmine uernaculo*.

IOHANNES ANDREAS BRICK, ZITTAV. de honoris et pietatis cultu, quem subditi et ciues Principi suo debent, aget *sermone uernaculo*.

GOTTLIEB SCHEIBLERVS, DORN-HENNERSDORF. LVS. omnem salutis mutationem et restitutionem esse a Deo probabit *Orat. Germ.*

IOH. CHRISTIAN. PETZOLDVS, SCHOEMBERGENS. LVS. quod pax in regione nualet, nisi praesente Principe, probabit *Orat. Germ.*

IOHANNES GOTTLIEB THOMAS, PAULSDORF. LVS. de reuertente felicitate, Augusto nostro Rege Clementissimo feliciter reduce facto, agro et syluis canet *carmine uernaculo*.

IOHANNES CHRISTIANVS ISRAEL, OBER-FRIEDERSDORF. LVS. quod plerumque tristitia praecedat, antequam laetitia sit, docebit *Orat. Lat.*

MALACHIAS IMMANVEL BECKERVS, OBER-SEIFERSDORF. LVS. felicitatem subditorum sub imperio principis, qui pacis et iustitiae studiosus est, demonstrabit *Orat. Lat.*

CAROLVS GOTTLIEB BOESE, LÜCKENDORF. LVS. de uinculo amoris inter principem et subditos exponet *Orat. Graec.*

IOHANNES GOTTLÖB HARTMANNVS, ZITTAV. principes Saxonicos et in toga et in saga conspicuos esse docebit *Orat. Lat.*

GEORGIVS HENRICVS MICHAELIS, ZITTAV. uirtutes, quibus princeps excellit, indicabit *Orat. Gall.*

CHRISTIANVS GOTTLÖB KOTTWITZ, ZITTAV. officium subditorum in utraque sorte principis demonstrabit *Orat. Graec.*

IOHANNES AVGVSTVS DANIEL RICHTERVS, ANNABERG. MISN. *Oda genere Alcaico* scripta, Horatium quantum potuit imitatus, ob felicissimum ex Polonia *Reditum Augusti Clementissimi* exsultabit.

Actum

Actum antecedunt

CERTAMINA CARMINVM MVSICA,

quorum modulationem gratam adiuncta commodulatione fidicinantium tibiis-
que canentium elaboravit Gymnasii nostri Honoratissimus Collega et Cantor,

Dn. CAROLVS FRIDERICVS GOESSELIVS.

T U T T I.

Domus, urbes nunc beantur,
REX et salus redonantur
Coelo nostrae patriae;
REX AVGVSTVS, REX Amandus,
Venit nobis Venerandus,
Musae plausum edite.

DA CAPO.

RECIT.

Non sine pace uenit *REX,*
Quae, Rege nondum iam praesente,
Res erat debilis et fabula,
Impietate omnia
Bonorum instituta perturbante.
Imago haec uesanae scilicet Bellonae
Nos retinere uidebatur in catenis,
Virorum ut summorum nec personae
Ad resistendum ualide sufficerent.
Sed nunc aduentu *REGIS Clementissimi*
Repulsum fugit omne scelus:
Iustitia nunc regnat lenis,
Nos recreat prosperitas.
AVGVSTO ergo gratia debetur:
In terras ipsa bonitas iam reuertetur
AVGVSTI cura *Clementissimi.*

A R I A.

Aue REX nunc redux facte
Comitante numine:
REX AVGVSTE uiue, macte
Nouo coeli lumine.

DA CAPO.

T U T T I.

Absterfis lacrymis AVGVSTVS amoena reducit
Gaudia, quod saluus remeavit et integer ad nos,
Qui iam moeroris nebulam uanescere iussit.

Actum

Actum sequuntur
CARMINVM CERTAMINA MVSICA
haec:

A R I A.

*Moeroris nebula depellitur,
Musarum tuta salus alitur
Aduentu REGIS dato:
Nunc omnis timor definit,
AVGVSTI Musa concinit
Aduentum ore grato.*

DA CAPO.

RECIT.

AVGVSTO erga Musas nemo est benignior,
Non Princeps est munificentior:
Optamus igitur ab imo pectore,
Vt abeant aduentu REGIS
Qui reliqui Cyclopes,
Decreta inuertentes Legis,
Iam deuorant bonorum opes,
Vt redeant aduentu REGIS
Argenti pondus et diuitiae,
Vt firmior pax duret marmore,
Vt uigeat ut uiuat REX per multos saluus annos,
Vt felix sit a dulci Sobole,
Vt RVTA immortalis floreat in PROLE,
Vt patria diffundat semper uultus lactos,
Vt Deus tandem uota audiat laetitiae.

T U T T I.

*Pangite uerba in pedes coacta,
Pangite carmina numeris facta,
Crimina, Musae, non amplius nocent:
Non sine pace AVGVSTVS repellit
Tristes dolores, et nefas auellit,
Non sine pace iam salus reuertit,
REX fidei perantiquae aduertit,
REX, Pax et Fides antiquum nos docent.*

DA CAPO.

Res a nobis suscipitur omnibus ob pietatis cultum et submissionem minus in grata. Proinde qua par est pietate et obseruantia oro ac rogo, ut *Consules Magnifici, Excellentissimi et Consultissimi* reipublicae nostrae *Patres Conscripti*, summe maximeque *Reuerendi Ecclesiae Ministri, Consultissimi, Experientissimique Doctores*, Omnes eruditionis in urbe nostra *Statores et Auctores, Doctissimi Gymnasii nostri Praeceptores, Ciues etiam ornatisissimi praestantissimique*, crastina luce d. VII. Iun. huic publicae laetitiae ob felicem REDITVM ex Polonia AVGVSTI REGIS nostri CLEMENTISSIMI in patriam perbenigne interesse uelint,
P. P. I. Trinit. Ao. M. DCC. LXIII.

1 B 5715

